

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Justus Christoph Schomer

**Theses Anti-Socinianae Consensu Vener. Facultat. Theolog. in Univ. Rostoch.
Publicis Disputationibus Propositae**

Rostochii: Richelius, 1687

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn736212388>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 1687

Schomerus, Just. Christ. 16





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn736212388/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn736212388/phys_0002)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn736212388/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn736212388/phys_0003)






Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn736212388/phys_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn736212388/phys_0004)



RESPONDENTES ET OBLONGINES
Ipsi discipulis etiam
M. JOHANNES RICHELIEU
M. JOHANNES RICHELIEU
THESES
ANTI-SOCINIANÆ
Consensu
Vener. Facultat. Theolog.
in Univ. Rostoch.
PUBLICIS DISPUTATIONIBUS
PROPOSITÆ
JUSTO CHRISTOPHORO
SCHOMERO, S. Th. D. & P. P.
C. D. A. & Dioec. Mekl. Sup.

ROSTOCHII, Typis JACOBIRICHELII, Sen. Typ.
ANNO M. DC. LXXXII.



RESPONDENTES ET OPPONENTES

suis vicibus erunt

M. JOHANNES REICHE, *Lubecensis.*

M. JOHANNES VALENTINUS

Großgebaur/ Rostochiensis.

JOACHIMUS LINDEMANN,

Rostochiensis.

STEPHANUS FRIES, *Rostochiensis.*

JOHANNES BUSCH, *Luneburgensis.*

MICHAEL VERMEHREN, *Lubecensis.*

ALBERTUS ELERS, *Leoburgo-Saxo.*

JOHANNES ELERS, *Leogurgo-Saxo.*

JOHANNES WENDEKERUS,

Rostochiensis.

JOACHIMUS OTTO, *Berlinensis Marchicg.*

JOHANNES MATTHÆUS POLE-

MANN, Luneburgensis.

FRANCISCUS BALEMANN *Lubecensis.*



L. I. De S. Scripturâ.

DISPUTATIO I.

I.



Auctoritas S. Scripturæ certam & indubitatem fidem facere debet, ut sufficiens sit.

II. Multorum incredulitas sufficienti ejus certitudini non obstat.

III. Auctoritas N. T. nobis Christianis non major est, qvam V. Testamenti.

IV. Etsi multa occurrunt in S. literis, de qvibus ex solis rationis principiis judicare possumus, non tamen omnia sunt talia.

V. Prudentiæ est, axiomata Philosophica non pro regula fidei obtrudere, sed ad eam corrigere.

VI. Λογικὴ Διατέξεια non dicitur qvòd rationi conformis sit, sed qvòd mente ipsa & ratione fiat.

VII. Etsi contradictionia non sunt vera, non ea tamen statim contradictionia sunt, qvæ ita nobis videntur.

VIII. Nec judicium nostrum naturale de rei impossibilitate sufficit ad Scripturam S. per inusitatos tropos torquendam.

A

IX,

- IX.** Mysteria supra rationem' ascendere, non idem est
in nostris & Socinianorum scholis.
- X.** Qui nullam agnoscunt scripturæ mentem nisi axio-
matibus Philosophicis congruam, non possunt
dicere, se ad rationis judicium non confugere,
ubi de Scripturæ mente]constat.
- XI.** Nulla est affectatio ambiguitatis in verbis Christi.
- XII.** Ex figuratis & parabolicis phrasibus dogma fidei
adstrui posse, non est simpliciter negandum.
- XIII.** Perspicuitas S. Scripturæ non obstat, qvò minus
ad eam rectè & salutariter intelligendam illu-
minatio Spiritus S. reqviratur.
- XIV.** Nec obstat perspicuitati necessitas consequentia-
rum etiam in probandis articulis fidei necessa-
riis.
- XV.** Textus sacer non ita corruptus est, ut versiones
fontibus præferendæ sint.

L II. De Deo.

DISPUTATIO II.

- I.** Testimonium existentis alicujus Deitatis omnium
hominum animis naturaliter insitum est.
- II.** Etiam illi, qui Deum verbis & factis abnegant, natu-
ralem ejus notitiam habent.
- III.** Nulla gens est, quam sensum omnem aut suspicio-
nem Deitatis abieciisse docere queas.
- IV.** Gentes qvæ sibi ipsis lex esse & legem corde inscri-
ptam habere dicuntur ab Apostolo, ineptissime
explicantur de credentibus.
- V.** Ex solâ etiam hujus mundi machinâ, qui probè ani-
mum advertit, cognoscere potest, existentiam
Dei,

VI.

- VI. Cœli, dum celebrant opus Dei, se esse opus Dei enarrant.
- VII. Dubitatio qvorundam Philosophorum de creatione mundi, non arguit agnitionem creatoris esse naturaliter incertam aut nullam.
- VIII. Etiam qvod fide cognoscitur, naturaliter notum esse potest.
- IX. Deus non est nomen tantum potestatis suâ naturâ multis commune.
- X. Ii, qvi naturâ Dii non sunt, μηδέ τάντον aut οὐδὲ δόξα tales dicuntur.
- XI. Verus Deus tamen qvi absolutè dicitur, non est impropriè talis.
- XII. Articulus voci Θεός additus vel inde omissus non facit certum discrimen inter verum & nuncupatum Deum.
- XIII. Nec ut vox illa subjecti vel prædicati rationem induit, probam diversæ illius significationis natam præbet.
- XIV. Nomen Jehovah nudè positum nec arcæ, nec urbi nec judicibus, nec ulli rei creatæ datur.
- XV. Angelus, cui hoc nomen datur, unus tantum est non ex communi ordine angelorum æstimandus.
- XVI. Idem nomen etiam cum terminum complexum vel vocem compositam ingrediens res creatas denominat, reverâ tamen est & manet uni vero Deo proprium.
- XVII. Deus ipsâ essentiâ suâ infinitâ ubiqve præsens est, nec descensus vel ascensus ejus infert motum localem.
- XVIII. Etsi æternitatem perpetui instantis animo satif

A 8

con-

concipere non possumus, intelligimus tamen,
qvōd Deum temporis successioni obnoxium fa-
cere, summæ ejus immutabilitati haud conve-
niat.

XIX. Alienum etiam est à Majestate Dei, ut credamus
vulgaribus S. Scripturæ phrasibus illi affectuum
alterationem internam proprio sensu tribui.

XX. Non pœnituit Deum unquam sui ipsius facti, neq;
cum perderet diluvio homines, qvos crearat.

DISPUTATIO III.

XXI. Derogat perfectioni divinæ, qvi eum rerum futu-
tarum contingentium infallibilem præscienti-
am habere negat.

XXII. Prædictiones Dei sunt certissimæ, non tantum ve-
risimiles.

XXIII. Futura contingentia reverâ sunt futura, & qvan-
tum ad rem ipsam determinatæ veritatis.

XXIV. Præscientia contingentium non tollit huma-
nam libertatem.

XXV. Nec præscientia Dei providentiam ejus ulla-
nus labefactat, sed potius confirmat.

XXVI. Cognitio Dei judicialis non est experimentalis,
qvâ discat, qvæ antea ignoraverit.

XXVII. Rei futuræ aut non-futuræ nulla spes, qvæ pro-
babilis persuasionis est, in Deum cadit.

XXVIII. Misericordia, seu clementia, vera & naturalis
Dei proprietas est.

XXIX. Misericordia Dei naturalis & peccatorum puni-
tio se invicem non tollunt.

XXX. Datur in Deo justitia naturalis, qvæ pro peccatis
admissis pœnas exigit.

XXXI.

- XXXI.** Justitia illa Dei naturalis non omnem, sed eam tantum, qvæ citra satisfactionem sit, tollit peccatorum remissionem.
- XXXII.** Exactio pœnarum majore fundamento nititur, qvam exactio debiti.
- XXXIII.** Exactio illa pœnarum etiam cum furori Dei adscribitur, justitiae ejus accepta fertur.
- XXXIV.** Parcere reis non dicitur justitiae effectus esse nisi cum parcendo præstatetur promissum.
- XXXV.** Aggratiandi seu remittendi pœnas nemo hominum absolutam à Deo potestatem habet.
- XXXVI.** Nec justitia nec misericordia naturalis Deum libertate suâ in exigendis pœnis exuunt.
- XXXVII.** Deus ita sanctus est, ut nullâ ratione quæcumq; ad pravas actiones incitet aut compellat.
- XXXVIII.** Cultus & adoratio Deo competunt ex ipsâ naturæ præstantiâ.
- XXXIX.** A cultu adorationis debito ad naturam divinam valet argumentatio.
- XL.** Absurdum est aliquid, qvi naturam divinam non habeat, Deo æqualem aut ab eo independentem esse.

L. III. De S. Trinitate.

DISPUTATIO IV.

- I.** Nomina & phrases pluralis numeri de Deo in Sacris occurrentes arguunt divinarum personarum pluralitatem.
- II.** Pluralitatis phrasin à sanctis Dei viris ad imitationem polytheismi gentiliq; adhibitam esse, per qvam absurdè dicitur.

III.

- III. Deum de se loqui per communicationem cum rebus creatis nullā ratione verisimile est.
- IV. Non majus adscribimus jus verbo plurali qvām singulari, cum ex illo pluralitatem personarum divinarum deducimus.
- V. Cæcitas judæorum argumentum illud pluralitatis non evertit.
- VI. Particula exclusiva pluralitatem vocis, cui adjicitur, ad unam singularem personam non adstringit.
- VII. Unitas Dei non obstat personarum divinarum pluralitati.
- VIII. Habet Deus Filium sibi naturalem & ὑμέσιον, cuius respectu Pater est.
- IX. De solo Patre prædicata Deitas non excludit veram & naturalem Deitatem Filii.
- X. Particula exclusiva sive subjecto sive prædicato addita non semper simpliciter exclusiva est.
- XI. Limitata exclusio à populari sermone non aliena est, nec per se errorem audienti cœrat.
- XII. Error audientium circa sensum exclusivum non interfert propositionis secundum se obscuritatem.
- XIII. Limites cuiusque exclusionis à scopo loquientis, circumstantiis & naturā rei agnoscendi sunt.
- XIV. Ad unum Deum Diis nuncupatiis contradistinguendum non opus est enumeratione divinarum personarum.
- XV. Etiam Filius est & vocatur verus Deus, nec prædicatum illud i Joh. 5, 20. ad Patrem refertur.
- XVI. Nulla ratio est, qvare putemus Filium non vocari

XVII.

- XVII. Aeterna generatio non implicat.
XVIII. Generari, procedere, mitti, praedicata sunt, quæ
in personam divinam cadere possunt.
XIX. Missio inferioritatem naturæ aut dignitatis per se
non infert.

DISPUTATIO V.

- XX. Habet Deus etiam Spiritum S. qui vera persona
est, non nuda proprietas.
XXI. Spiritus S. specie columbinâ visus quondam ad
jordanem descendit;
XXII. Species illa columbina, ut omnis species visibilis
citra visiones propheticas in libero ære assu-
ta, arguit certum φίστιμον.
XXIII. Forma parastaticè assumta non repugnat natu-
ræ divinæ.
XXIV. Descensus in formâ assumtâ satis distinguit de-
scendentem Spiritum à Patre.
XXV. Non tamen probat ille descensus diversitatem
essentiæ.
XXVI. Spiritus S. omnipotens, omnipræsens, aeternus
est, etsi distincta à Patre persona.
XXVII. Etsi & Filius & Spiritus uterque Dei est, tamen
etiam Deus.
XXVIII. Non aliter Deo quam Spiritui S. mentitus esse
dicitur Ananias, Act. 5. nec mutatio casus im-
mutat significationem verbi.
XXIX. Comparatio in verbis Petri posterioribus, quæ est
inter homines & Deum, non patitur ut Spir-
tui S. tantum minus principaliter mentitum
esse Ananiam putemus.
XXX. Scrutinium profundorum Dei, quod Spiritui S.

B

tribui-

tribuitur, non arguit ejus ignorantiam aut sci-
entiam imperfectam.

XXXI. Scrutinum illud Sp. S. non potest metonymicè
explicari, qvòd faciat ut nos $\tau\alpha \beta\alpha \theta\eta \tau\delta \theta\tilde{\eta}$ scrutemur.

XXXII. Honor & adoratio religiosa rectè etiam Spir-
tui S. defertur.

XXXIII. Virtus Dei etiam persona rectè vocatur.

XXXIV. Donari, effundi, pignus, sigillum, arrham es-
se & id qvo baptizamur, prædicata sunt, qvæ
etiam de personis dicuntur, aut dici possunt.

XXXV. Dividitur & distribuitur Sp. S. metonymicè ra-
tione effectuum, qvod de personis dicere non
est insolens.

DISPUTATIO VI.

XXXVI. Dictum johannis de tribus testibus genuinum
est, non ab Hieronymo vel qvovis alio Aria-
norum hoste infartum.

XXXVII. Dicto illo ablato malè textus cohæreret, addi-
to optimè cohæreret.

XXXVIII. Ratio certa est, qvare inter testes johanneos
non Filius sed $\lambda\gamma\zeta$ nominetur.

XXXIX. Ratio certa est, qvare Spiritus bis nominetur
ad utrumqve constituendum ternarium.

XL. Longè major est unitas testium cœlestium qvàm
terrestrium.

XLI. Non periclitatur Deitas Spiritus S. in eo qvod sa-
pius nomen ejus reticeatur cum Pater & Fili-
us nominantur.

XLII. Singulare & communicabile esse non involvit
contradictionem,

XLIII.

- XLIII.** Communicatà essentiâ nosti communicatur aut confunditur statim ipsa personalitas.
- XLIV.** Multiplicatis personis divinis non multiplicatur Deitas, nec æqvè tres Dii sunt ac tres personæ, & si qvælibet persona Deus.
- XLV.** Ne æqvè dicamus tres Deos ac tres Elohim, sufficit S. Scripturæ auctoritas, unde aliam hujus qvam illius vocis vim esse colligimus.
- XLVI.** Luditur ambiguitate, cum *Deus unus* & *Pater* dicitur & *Trinitas*, unde quatuor terminis vel distributionis vitio laborant omnes syllogismi ex ejusmodi propositionibus ad S. Trinitatis mysterium evertendum conflati.
- XLVII.** Idem ambiguitatis lusus est, si tota essentia Dei & Pater & Trinitas dicatur.
- XLVIII.** Nec tutò dicitur, quot personæ sunt, tot esse substantias vel res.
- XLIX.** Difficultas, qvæ circa distinctionem essentiæ divinæ à tropis hyparxeos occurrit, non major est illâ, qvæ ipsas Philosophicas distinctiones premit circa res in naturâ obvias.

L. IV. De Creatione & Angelis.

DISPUTATIO VII.

- I. Creationem cœli & terræ qvæ à Mose describitur, ex nihilo factam esse credimus.
- II. Absurdum est materiam Deo facere coæternam.
- III. Creatio mundi talis character veræ Deitatis est, ut pro Deo haberin non debeat, cui hoc prædicatum non competit.
- IV. Etiam Filio Dei & Spiritui S. creatio mundi rectè adscribitur,

B 2

V,

- V. Omnia qvæ à Filio' esse dicuntur, sunt simpliciter o-
mnes res creatæ, nec restringendæ sunt ad genus
humanum aut reparationem gratiæ illi factam.
- VI. Secula, qvæ per Filium facta esse dicuntur, non pos-
sunt explicari de seculis tantum futuris.
- VII. Particula *per seū dī* non est nota tantum causæ in-
strumentalis, sed & principalis.
- VIII. Nec prædicatum patitur, nec ordo creationis à
Mole descriptus, ut Spiritum aquis incubantem
de vento explicemus.
- IX. Angelos sibi Deus in opere creationis non adjunxit
socios, ut cum illis deliberaret, *Faciamus sc̄c.*
- X. Angelos ante conditum mundum & hexaëmeron
Mosaicum creatos esse, non dicitur S. Scripturæ
conformiter.
- XI. Angelos non olim magis, qvām nunc, divino ho-
nore atq; adoratione proseqvi fas fuit.
- XII. De certo loco supra expansionem stelliferam posi-
to, qvi peculiare Dei & angelorum domicilium
sit, temeraria est definitio.

L. V. De Imagine Dei.

DISPUTATIO VIII.

- I. Primum hominem ad imaginem Dei conditum esse,
ex S. literis novimus, ad imaginem angelorum,
non item.
- II. *ἰωαγελία*, qvæ vel in primo homine fuit, vel in cœ-
lis nobis futura est, non infert angelorum in ho-
mene imaginem.
- III. Psalmus octavus de statu primi hominis non loqui-
tur.
- IV.

- IV. *Imago Dei in primo homine non alia nec imperfetta fuit, quam ea ad quam revocamur.*
- V. *Homo secundum Deum creatus est homo ad imaginem Dei creatus.*
- VI. *Homo in justitiâ & sanctitate creatus est justus & sanctus creatus.*
- VII. *Homo primus non poterat dici valde bonus, nisi habitualiter justus & sapiens fuisset.*
- VIII. *Ut imago Dei consistat in concreata justitiâ non requiritur peccandi impossibilitas.*
- IX. *Justitia Adami voluntaria & originalis subordinata sunt non pugnantia.*
- X. *Rebellionem appetitus contra rationem in Adamo naturalem fuisse, ex delicto comedionis non appareat.*
- XI. *Etiam circa mandatum positivum de arbore Adamus peccandi occasionem habuit.*
- XII. *Ante delictum tamen illud comedionis vetitae eiusdem contra conscientiam nil admississe certum est.*
- XIII. *Quæ Adamus de conjugi suâ dixit in statu integrō non sunt talia, quæ quivis stupidus scire potuisset.*
- XIV. *Impositio nominum animalibus facta, si maximè non nisi sensualem differentiam respexit, insigni tamen in homine ingenii argumentum est.*
- XV. *Si nomina animalibus omnibus tam sapienter fure data, quam mulieri post lapsum, utique plerique quam sensualem differentiam respexerunt.*
- XVI. *Adamus antequam peccabat, optimè novit se mori posse & debere ex peccato,*

XVII. Eundem vim arboris vitæ ignorasse ante peccatum non liquet, nec si ignorasset, decessisset inde aliquid laudi sapientia.

XVIII. Nec obstat sapientia ignoratio experimentalis boni & mali.

XIX. Non ipsam nuditatem suam ignorabat Adamus ante lapsum sed nuditatis ignominiam nullam viderat.

L. VI. De Peccato Originis.

DISPUTATIO IX.

I. Unicus peccandi actus perfectam rectitudinem Adami, & positam in eam imaginem Dei, perdere penitus potuit, & actu perdidit,

II. Peccante Adamo virtualiter omnes ejus posteri peccarunt.

III. Proles nondum existens in parente suo tanquam in radice perire vel damnum pati potest.

IV. Existentia proles virtualis in suis parentibus physicè vera est, non moralis tantum schesos.

V. Non omnes actiones parentum sunt merè personales.

VI. Pronitatem ad peccandum in omnibus hominibus naturalem esse constat, quæ et si habitualibus majorum vel proximorum parentum vitiis aucta, à primo tamen peccato Adæ orta est.

VII. Peccatum Adami non derivatur in posteros ut peccandi exemplum.

VIII. Non sola pœna peccati mors æterna, sed ipsa quoque culpa in posteros Adæ transiit, ita ut omnes nascantur pecato originali obnoxii.

IX.

- IX. Culpa originalis, utpote immediatè fluens exprimo peccato, non debebat exprimi inter eas poenas, quas Deus positivo decreto inflxit.
- X. Socinianorū, non nostra sententia incurrit in id, quod Deus se facturum negat, ut stupidos dentes gerant qui omphacem non comedenterunt.
- XI. Non tamen simpliciter injustum est, ut filii delicta parentum portent etiam merè personalia.
- XII. Ad culpām constituendam non requiritur propria voluntas ejus qui in culpā futurus est.
- XIII. Peccatum originale & in iis est, qui illud non intelligunt, nec inter dextram ac sinistram distinguere norunt.
- XIV. Modestia infantilis in exemplum adultis proposita non arguit plenam à peccatis immunitatem.
- XV. Innocens in foro humano & respectu supplicii civili non statim innocens est in foro divino.
- XVI. Etiam cum sanctitate ecclesiasticā peccatum originis confistere potest.
- XVII. Conceptio Davidis non magis quam cuiusvis alius peccato inquinata fuit.
- XVIII. Nec patiuntur verba illa Davidis sensum hyperbolicae exaggerationis.
- XX. Non eadem vis phraseos est, quae de conceptione & statu in utero materno simpliciter, & quae de eodem, ut termino à quo loquitur.
- XXI. Rectè tamen è testimonio divino de malitiâ cogitationum inde ab infantiâ hominis colligitur peccatum originale.
- XXII. Non eadem causa adducitur immissi diluvii & decreti divini de parcendo, Gen. 6. & 8. licet u-

110.

trobiqve oratio Dei assertiva sit, non permis-
siva.

XXIII. Concupiscentia pravi simplex & naturalis, etsi
illi non assentiaris, veri nominis peccatum est.

XXIV. Intelligentia carnis non est in homine ante pec-
catum.

DISPUTATIO X.

XXV. Mors non intravit in mundum nisi in pœnam
peccati Adamitici.

XXVI. In Adamo mori non est ad exemplum Adami
mori.

XXVII. Non omne quod à renatis sublatum non est, in
statu integratatis locum habuit.

XXVIII. Origo Adami ex pulvere per se causa mortis
vel mortalitatis non est, nec eo nomine à Deo
objicitur.

XXIX. Nec proposita in Paradiso arbor vitæ, nec gene-
ratione propagandum genus, nec animalis &
terrena conditio cœlesti opposita docent ho-
minem ita conditum fuisse ut ipsi etiam cibo &
potu utenti naturaliter mors immineret.

XXX. Naturalem conditionem homini cessisse in pœ-
nam, exemplo serpentis aut spinarum agri do-
ceri nequit.

XXXI. Accidentia externa aëris aut vis ingruentis, ho-
mini nunc timenda, in primo statu timenda non
erant.

XXXII. Variat pro conditione peccantium peccati pœna,
unde licet angelorum non fuit, hominum
tamen pœna est mortalitas.

L. VII.

L. VII. De Libero Arbitrio.

- I. *Imago sanctitatis Dei lapsu Adæ amissa est, ut ut propter illam homicidium prohibitum esse legamus.*
- II. *Nemo est hodie qvī naturaliter seriam voluntatem habeat præstandi ea qvæ Deus jubet.*
- III. *Neqve viribus mērè naturalibus mysteria Dei in sacris literis exposita salubriter intelligere aut rectè de iis judicare apti sumus.*
- IV. *Cœcitas hominis animalis in spiritualibus non est cœcitas tantùm affectata hominis malitiosi.*
- V. *Pro stultitiâ possumus habere etiam qvæ non rectè percepimus.*
- VI. *Nemo etiam est qvis solā spe promissorum & metu pœnarum adjutus voluntatem Dei præstare posse.*
- VII. *Neqve adeo in homine sibi relicto vera animi probitas locum habet.*
- VIII. *Libertas abstinendi à repugnantia malitiosâ non infert libertatem eliciendæ veræ probitatis.*
- IX. *Neqve adhortatio divina ad probitatem docet nostras ad eam obtinendam naturales vires.*
- X. *Nil absurditatem tentat Deus cum exigit ab homine qvod is præstare neqvit.*
- XI. *Non æqvè facilis est homini conversio ad Ucum ac fuit ab illo aversio.*
- XII. *Operari salutem suam cum timore & tremore, eorum est qvi jam regeniti sunt, non qvi primum convertuntur.*
- XIII. *Doctrina hæc de servo Arbitrio non repellit hominem à conatu aut amore virtutis, multò minùs desperatis cum vitiiſ immergit.*

C

L. VIII.

L. VIII. De Personâ Christi

DISPUTATIO XI.

- I. Christum Davidis filium non tantum legalem, sed utique naturalem fuisse, ex ejus prolapso revere-
râ ortum, vaticinia & testimonia Scripturæ S. comprobant.
- II. Deum in conceptione Christi adjecisse id quod ex parte viri ad producendam prolem reqviritur, impurum commentum est.
- III. Ortus ex majoribus cum limitatione ad carnem de Christo prædicatus docet eum non nudum hominem esse.
- IV. Idem ratione alterius naturæ jam tum extitit, ante quam ratione humanæ naturæ in utero B. Virginis conceptus est.
- V. Existentia ejusdem ante-Abrahamitica non nisi in-
ceptâ explicatione ad tempus carnis vel exaltatio-
nis Christi retrahitur.
- VI. Gloriam non tantum Dei Patris sed & Christi in il-
lustri apparitione vidit Esaias.
- VII. Gloriam Christus apud Patrem actu habuit ante
jacta mundi fundamenta, non prædestinatione
tantum.
- VIII. Egressiones à diebus seculi apud Micham non si-
gnificant antiquitatem stirpis regiæ, sed æterni-
tatem antemundanam.
- IX. Ipsa appellatio *Filius Dei* Christo in S. literis frequen-
tissimè data divinam ejus naturam atque inef-
fabilem generationem arguit.
- X. Sanctificatio & missio ejus aut conceptio ex Spi-
itu S. fundamentum suppeditant quidem propo-
sitio-

sitionis personalis, qvōd Filius hominis sit Filius Dei, non autem propositionis formalis, qvæ ipsam generationis à Patre aut filiationis rationem exponat.

XI. Multò minus resuscitatio à mortuis aut exaltatio resuscitati filiationis ejus causa est, sed signum tantum & testimonium.

XII. Λόγος character & αναύγασμα Patris, nomina & prædicata Christi sunt, qvæ non ad prophetatum officium, sed diuinam ejus naturam & originem referuntur.

XIII. Incarnatio Filii Dei non est leve commentum, sed tremendum fidei mysterium ex Scripturâ S. haustum.

XIV. Scopus tamen historiæ Evangelicæ & concionum Apostolicarum ad Judeos non patitur, ut ubiqvè hujus mysteriï aqvè vel diserta vel prolixa enarratio expectetur, aut hoc argumento rei veritas in dubium vocetur.

XV. Ex factâ incarnatione ejus necessitas concludi debet, non ex minus intellectâ vanis ingenii necessitate ipsa incarnatio oppugnari.

XVI. Per incarnationem illam divinæ naturæ nulla intrinseca immutatio accidere potuit, neqvè personalitas ejus per naturarum unionem periire.

XVII. Non meretur nomen sanæ rationis, qvæ propter impossibilem sibi visam essentiæ & subsistentiæ separationem aut duarum formarum substantiarium in uno supposito combinationem hoc mysterium negare audet.

XVIII. Nihilo magis audiendi sunt, qui ex canone,
quod disparata de se invicem prædicari nequeant, pugnare sat agunt.

XIX. Actiones & effectus animæ Christi vel humanæ ejus
naturæ proprii, non arguunt illius peculiarem
& à divinâ naturâ separatam subsistentiam ac
personalitatem.

DISPUTATIO XII.

XX. Descensus Christi de cœlo, exitus à Patre & adventus in mundum eandem ejus παρουσίαν & incarnationem expressè docent.

XXI. Raptus vel ascensus Christi hominis in cœlum ante inchoatum ejus ministerium, desperatae causæ miserum commentum est.

XXII. Nec typus Christi in Mose observatus, nec fatum Pauli reqvirunt ut talem Christi in cœlum abreptionem statuamus.

XXIII. Revelari omnino disertis verbis debuisset illa abreptio, si facta esset nemine vidente, quippe quæ ex verbis Christi de ipsius inde descensu nullâ ratione intelligi poterat.

XXIV. Filius hominis eodem tempore, quo cum Nicodemolo loquebatur, erat etiam in cœlis.

XXV. Secundum aliam aliamque naturam Christus ἐξοχæ divinas in tempore datas accepit, & easdem jam ante habuit.

XXVI. Detoto negari potest, quod secundum præcipuum tamen partem vel naturam verum est.

XXVII. Christus bonitatis titulum à se non amovit, nec juvenem de dato sibi divinitatis prædicato

cato redarguit, sed ad confessionem veritatis illum adigere voluit.

XXVIII. Idem in horto Gethsemane voluntatem suam voluntati Patris submisit, non opposuit.

XXIX. Doctrinam, voluntatem, gloriam, qvam Christus habet aut qværit, negat qvidem suam esse in sensu exclusivo, non verò simpliciter & in sensu conjunctivo.

XXX. Relatio illa doctrinæ, operum, gloriæque ad Patrem, originem arguit, Deitatis naturam non inficiatur.

XXXI. Prædicata, qvæ 2. Tim. 3, 16. occurrunt, non arguunt vocem θεος ibi esse υπερβολιμαior, sed contrarium potius.

XXXII. Per θεον ibidem Filius, non Pater, intelligi debet.

XXXIII. Mediatore ab humanâ naturâ denominato divina natura nullatenus excluditur,

DISPUTATIO XIII.

XXXIV. Alio respectu Christus servus Patris, alio ejusdem Filius dicitur.

XXXV. Forma Dei non est sola illa potestas aut gloria miraculorum, qvæ in Christo ante passionem observata est.

XXXVI. Potestas & gloria illa miraculorum Christi cum exinanitione ejus simpliciter non pugnat.

XXXVII. Non ergo' passionis demum tempore exinanitio cœpit.

XXXVIII. Neqve in solâ neglectione terreni dominatus eadem poni debet,

C 3

XXXIX.

- XXXIX. Exinanitionis fuit, qvòd Christus non nisi oran-
do se angelorum subsidia impetraturum es-
se spondet,
- XL. Jam ante resurrectionem à mortuis Christus re-
verā, non solā designatione Rex fuit.
- XLI. Potestatis in homines, Angelos, diabolos, mor-
tem, post resurrectionem acceptio, ejus
præviam voluntariam exinanitionem, non
juris defectum docet.
- XLII. Etiam potestatem largiendi Spiritum S. Christus
ante resurrectionem habuit.
- XLIII. Actualis missio Apostolorum aut effusio Spíri-
tus S. non infert determinatum tempus ac-
ceptæ summa potestatis.
- XLIV. Christus morte suâ regnum diabolorum destru-
ens, imperium in eos exercuit, nou meritos
rìe demum acqvisivit.
- XLV. Neqve subjectus morti fuit naturaliter, sed spon-
te eam subiit.
- XLVI. Neqve etiam morte extinctus est, aut Filius
Dei esse desit.
- XLVII. Eundem suâ ipsius virtute à mortuis resurre-
xisse, dictis S. Scripturæ non obscuris doce-
mur, qvæ non possunt merè passim exponi
qvòd aliunde ipse exitatus vel excitandus fue-
rit.
- XLVIII. Multò minùs est, vivificare animas suas, qvod
de fidelibus dicitur, qvàm resumere animas
Corpus mortuum denuo erigere, qvod Chri-
stus sibi attribnit.
- XLIX. Christus aicitur vitam in se ipso habere, non re-
spectu

spectu tantum remissionis peccatorum, sed
respectu suscitations mortuorum.

L. Resuscitatio Christi ad scripta Patri & ab eodem ex-
petita, virtutem illam Christi non magis exclu-
dit, quam aliorum ejus operum ad Patrem rela-
tio,

LI. Virtus illa sui resuscitatrix in Christo nec gloriam
Patri, nec solatium futuræ resurrectionis nobis
eripit, quippe utramque potius stabiliens,

DISPUTATIO XIV.

LII. Immortale, gliosum atque spirituale corpus fuit,
quod Christus sepulchro extulit.

LIII. Gloriosum resurgentis corpus minore splendore
apparuisse, quam quondam in monte Tabor,
absurdum non est.

LIV. Comestio, bibitio, cicatricumque retentio in
corpore Christi, dispensationis non necessitatis
fuit, nec ad naturalia alias illorum actuum no-
tarumve consecutiva trahi debet.

LV. Christum ante effusionem Spiritus S. glorificatum
non esse, nusquam dicitur.

LVI. Ascendens in cœlos, corpus quo resurrexit non
reliquit, vel alio essentialiter diverso commuta-
vit, sed carnem & sanguinem etiamnum in cœ-
lis habet.

LVII. Christus Adamo non opponitur ratione materiae
ex qua, sed dignitatis personalis.

LVIII. Non magis Christus in cœlis merus spiritus est,
quam Adamus in terris mera anima fuit.

LIX. Supervacaneum non est querere, sed impium in
dubium vocare, an Christus in cœlum sublatus
idem numero sit qui fuit in terris. LX.

- LX.** Ascensio Christi in coelos non infert plenam ejus & essentialem à terra absentiam.
- LXI.** Praesentia Christi gratiosa apud fideles essentialem nec excludit nec ad illos solos restringit.
- LXII.** Invocatio adorationi religiosæ includitur, nec minùs quam illa respectu Christi ullo tempore necessaria dici potest.
- LXIII.** Invocationem Christi adres tantum ecclesiæ ab illo petendas non limitamus.
- LXIV.** Christus eodem individuo actu cum Deo Patre adoratus eodem etiam honore adoratur.
- LXV.** Praeceptum tamen de solo Deo adorando non alias limitationes patitur post ascensionem Christi quam ante eam.
- LXVI.** Sociniani dum eum adorant, quem naturâ Deum esse negant, suopte iudicio sunt idololatriæ.
- LXVII.** Regnum Christi ad dextram Patris erecti aeternum & absqve fine est, nec per particulam donec ad certum terminum limitatur.
- LXVIII.** Administratio regni per Filium vel Patrem cumulativa est non privativa, adeoque nec traditio ejus abdicatio est.
- LXIX.** Nec ut Pater sit omnia in omnibus reqviritur abdicatio regni in Christo.
- LXXX.** Non etiam fideles in thronum suum ita collocat Christus, ut suâ eos potestate eximat.
- LXXI.** Neque minùs hodie Christus, quam post finem seculi Patri subjectus est.

L.IX. De Satisfactione Christi.

DISPUTATIO XV.

- I.** Officium Christi sacerdotale non ratione tantum sed re ipsâ à regio differt. **II.**

- II. Officium sacerdotale est, qvâ Deo qvid præstatum
hominum nomine, non hominibus Dei nomine.
- III. Non metaphoricè & analogicè, sed propriè omnino
Christus noster sacerdos est.
- IV. Nec tantum ab officio propheticō, qvo salutis vi-
am annunciavit, aut regio, qvo vitam æternam
actu largitur, Christus Salvator noster dicitur.
- V. Non tunc demum cum in cœlos ascenderet Christus,
Pontificatus ejus cœpit.
- VI. In terris non persistere si Pontifex esse velis, non signifi-
cat in terrâ Pontificem non esse.
- VII. Sacrificatio Christi perinde ut victimarum V. T. ex-
tra sanctuarium facta est, nec solâ præsentatione
ejus in cœli definitur.
- VIII. Mors Christi in arâ crucis ipsum sacrificium non e-
jus tantum præparatio fuit.
- IX. Mors Christi non tam pacificis & voluntariis qvam
expiatoriis sacrificiis V. T. respondet.
- X. Expiatio peccatorum nostrorum facta morte Christi,
meritoria est non testimonialis.
- XI. Non eodem sensu Christus & Paulus pro ecclesia
passi sunt.
- XII. Christus ἀνάλυτος factus se ipsum nostro loco pu-
endum substituit.
- XIII. Peccata ἀνεγέγνωσα dicitur Christus, qvòd reatum
& poenam eorum luerit.
- XIV. Ad poenam sponte subeundam sufficit delicti alie-
ni imputatio.
- XV. Non eadem libertas hominum est in substituendo
re, qvæ Dei, aut poenâ capitatis vicariâ sube-
undâ, qvæ Christi fuit.

Dum epu misib

XVI.

- XVI. Promissio Dei ne filius pro patre (aut socius pro socio) puniatur, non obstat luitioni peccatorum nostrorum sponte à Christo susceptæ.
- XVII. Falsò dicitur satisfactionis Christi nec rem nec nomen in S. literis extare.
- XVIII. Deo ipsi Domino pretium redēptionis nostræ datum esse dicimus, non diabolo lictori, aut gehennæ carceri.
- XIX. Christus certâ ratione sibi ipsi obligatus pariterq; & offensus & mediator esse potuit.
- XX. Nec major tamen Christi qvam Patris erga nos amor ex satisfactione & mediatione illâ elucer.
- XXI. Dilexit qvidem Deus genus humanum anteqvam morte filii placatus esset, sed amore generali non speciali & efficaci.
- XXII. Ad remissionem reo faciendam non reqviritur, ut judex sibi & justitiae nullâ ratione satisficeri nolit.
- XXIII. Non æqvè publica injuriarum condonatio, qvam facit judex, gratuita esse debet, ac privata.
- XXIV. Nil majus tamen Deus à nobis reqvirit circa condonationem injuriarum, qvam ipse nobis præstat.
- XXV. Et si dispar ratio est ejus qvì æs & qvi vitam debet, tamen & illi qvandoqve verè remittitur ubi creditori satisfit.
- XXVI. Non tantum V. T. sed omnino nullius temporis peccatis remissio obtineri potuit sine sanguinis effusione.
- DISPUTATIO XVI.
- XXVII. Valor satisfactionis Christi retro qvoqve ad exordium usq; mundi se extendit. XXVIII,

- XXVIII.** Sanguis victimarum V. T. etiam virtute sanguinis Christi peccata expiavit.
- XXIX.** Sic & hircus emissarius realiter ex veritate typica expiatorius fuit.
- XXX.** Expiationes non tantum peccatorum ignorantiarum sed & voluntariorum factarum sunt sacrificiis V. T.
- XXXI.** Qvod merus homo nullâ poenâ datione poterat, ut pro peccatis satisfaceret, Christus tamen potuit, cuius passio ad ipsam ejus divinam naturam redundavit, ut non illa, sed humana passa sit.
- XXXII.** Mors Christi itaque id omne complectitur intensivè, qvod omnes omnium hominum cruciatus complexi essent extensivè, extensione tam longitudinis quam latitudinis,
- XXXIII.** Sic & æternitatem poenâ compensavit patientis Christi dignitas, & robur sustinendi sensum perfectum iræ divinæ,
- XXXIV.** Imò ut Christus satisfaceret omnino reqvirebatur ne in æternum poenas daret.
- XXXV.** Neq; ex conditione nascendi Christus legi fuit subjectus, sed illam omnem pro nobis implavit.
- XXXVI.** Obedientia Christi vicaria à maledictione legis nos non licentia carnis, sed sibi justitiaq; studio redimens, non potest ejus sectandæ stimulum vel obligationem justam nobis abstulisse,
- XXXVII.** Satisfactione aliunde acceptâ non liberantur statim ipso jure omnes indifferenter rei, sed oportet ut λύσεον agnoscant,
- XXXVIII.** Non ergo in valore satisfactionis, sed fide & applica-

- plitione peccantium culpa est, qvod multi
pereant.
- XXXIX. Sic pro ingratitudine etiam & apostasiam satis-
factum est, dummodo ad beneficium illud ve-
ra fide revertatur ingratus apostata.
- XL. Afflictiones positivo Dei decreto peccatum insecur-
itatem non debebant cessare propter satisfactio-
nem Christi.
- XLI. Imputatio facit ut satisfecisse, non ut pro aliis satis-
fecisse, videamur.
- XLII. Exemplum imitationis in passione Christi gene-
rale non speciale nos habere Petrus afferit.
- XLIII. Resurrectio Christi innocentis non posset absq;
satisfactione exemplum esse resurrectionis no-
strae innocentium.
- XLIV. Filii iræ, qvi Eph. 2. dicuntur propinqvi facti,
non tantum cum iudeis, sed & cum Deo ipso
dicuntur in gratiam rediisse;
- XLV. Et nos Deo, & Deus nobis reconciliatus est pari
utrinq; sensu.
- XLVI. In voce *vite* I. Thess. 5, 10, finis mortis Christi
primarius, at 2. Cor. 5, 15. secundarius indicatur.
- XLVII. Intercessio Christi pro nobis in cœlo vera & pro-
pria est, nec tantum de curâ nostri ex potestate
susceptâ explicari debet.
- XLVIII. Christus non negat absolute se Deum pro nobis
oraturum esse, sed exclusivè ad preces nostras.

L. X. De Lege & Evangelio.

DISPUTATIO XVII.

- I. Lex Christi non est lege Mosaicâ perfectior, nec nova
nec præstantiora præcepta habet.

II. Novum

- II. Novum fœdus non est fœdus operum vel legale.
III. Impletio legis, quam Christus præstítit, non est ejus
auctio.
IV. Dictum antiquis, cui se Christus opponit, non est
dictum legis Mosaicæ.
V. Christus non revelavit novum aut inauditum antea
modum colendi Deum.
VI. Oratio & preces ad Deum satis aperte in V. T. præ-
ceptæ sunt.
VII. Invocatio Christi vel invocatio Dei in nomine
Christi non sunt novi modi cultus divini primo
præcepto additi.
VIII. Præceptum de cavendis idolothytis non est Novo
Testamento proprium.
IX. Juramenta temeraria etiam in V. T. fuere prohi-
bita.
X. Non intensor præscribitur nobis erga proximum
charitas, quam olim in lege Mosis præscripta
erat.
XI. Dilectio proximi, quam lex Mosis imperabat, non
restringebatur ad Israëlitam.
XII. Nunquam lex Mosis docuit inimicum odio ha-
bendum esse, sed diligendum potius præcepit,
perinde ut Christus.
XIII. Officium & moderamen potestatis maritalis, pa-
ternæ, herilis & politicæ, non minus in V. quam
in N. T. inculcata extant.
XIV. Nec minus iram, contumeliam & vindictam pri-
vatam in V. T. damnatam legimus.
XV. Neque ut percutienti dextram sinistram præbea-
mus, novum Christi additamentum est.

D 3

XVI. Et-

- XVI. Etiam concupiscentia uxoris alienæ adulterium cordis est secundum Mosis legem.
- XVII. Turpiloqvia quoque & scurrilitas non magis in N. quam in V. T. prohibita fuerunt.
- XVIII. Jejunia & abstinentia à comeditionibus nullum & ipsa agnoscunt augmentum.
- XIX. Uxorii aliâ quam adulterii causa facta dimissio, permissa quidem in V. T. fuit, non tamen probata, nedum imperata.
- XX. Polygamia multanea, quicquid sit de exemplis patriarcharum & Regum Israëliticorum, etiam in lege Mosis prohibita legitur.
- XXI. Nuptiae cum infidelibus in N. T. nec simpliciter nec fortius quam in V. T. interdicuntur.
- XXII. Nubere in Domino non est nubere Christiano.
- XXIII. Dicitiarum in pauperes erogatio pariter eandem utrobius agnoscit legis necessitatem.
- XXIV. Nec interdictum mendaciorum nunc arduus est, quam olim fuit.
- XXV. Etiam primi motus concupiscentiae in utroque testamento & quæ prohibiti sunt,
- XXVI. Sic quoque abnegatio sui & tolerantia crucis in lege V. T. locum habuere.
- XXVII. Præceptum de imitatione Christi non peculiare aut novum præceptum morale, sed omnium complexio est.
- XXVIII. Institutio Sacramentorum N. T. non est legalis, nec adeo legem Mosis perficit.

DISPUTATIO XVIII.

- XXIX. Falso dicitur Deum ante Christum natum exhibuisse se tantum ut Deum, non ut Patrem.

XXX. De-

- XXX. Deus vitam æternam etiam fidelibus promisit. IX
XXXI. Non pravæ Judæorum opinioni, sed certæ veritatis agnitioni adscribit Christus, quod vitam æternam in Scripturis S. qværerent.
XXXII. Nec sperare nec adipisci poterant homines vitam æternam nisi promissam.
XXXIII. Salus primùm à Christo prædicata dicitur, non ad excludendum tempus præteritum, sed sequens colligendum.
XXXIV. Gratia per Christum obtigit, qvòd per ipsum parta, non qvòd primitùs per ipsum revelata sit.
XXXV. Manifestatio gratiæ in adventu Christi facta est, non simpliciter nova, sed illustrior, tūm exhibitione ejus, qvigratiæ fundamentum est, tum publico per omnes gentes præconio.
XXXVI. Christus Salomonem & Jonam superat dignitate personæ potius, qvam prædicationis.
XXXVII. Promissionem qvam non accepere veteres, metonymicè intelligere oportet pro ejus complemento.
XXXVIII. Nondum manifestatâ viâ ad sancta, sanctorum tamen illorum & ipsius viæ promissio facta erat.
XXXIX. Fides venisse dicitur tempore Christi non simpliciter, sed solitariè in oppositione ad jugum legale annexum,
XL. Jugum legis tutorium & pædagogicum non impedit fidem de hereditate promissâ.
XLI. Spiritum S. qui datus fuit in V. T. potentibus, promissum tamen ibi non esse, dictu absurdum est.
XLii. Etiam lex Mosaica promisit vitam æternam sui observatoribus.

XLiii. Atta-

XLIII. Attamen quis servantur tam in V. quam in N. T.
non servantur ex lege sed ex Evangelio.

XLIV. Etsi autem promissio spiritualis per legem obti-
neri non potuit, non tamen Deus dici potest
minus dedisse sui cultoribus quam promisit.

XLV. Modo igitur promittendi meliores sunt N. T. pro-
missiones, quod legales conditiones adjectas
non habeant, non vero rebus promissis,

L. XI. De Prædestinatione & Gratiâ,

DISPUTATIO XIX.

I. Electio hominum ad salutem cum prædestinatione syn-
onyma est, & ante conditum mundum facta.

II. Prædestination non consistit intra generale proposi-
tum, sed ad individua porrigitur.

III. Electio divina à studio, diligentia aut virtutibus libe-
ri arbitrii non dependet.

IV. Bona opera sunt notæ electorum, non electionis
causa.

V. Electio ad salutem non est duplex nec mutabilis.

VI. Nemo eorum perire potest, quos Deus ad salutem
prædestinavit, et si impossibilitas illa non abso-
luta est, sed hypothetica.

VII. Cautio Pauli ne fiat reprobus, non tollit infallibilem
electionem Dei.

VIII. Conversio hominis, tota Dei non nostrum opus est.

X. Converttere hominem nunquam significat eum ex
calamitatibus eripere.

XI. Ad fidem generandam non exterius tantum propo-
sitâ, sed intus operante Spiritu S. gratiâ opus
est.

XI. Non

- XI. Non convertitur invitus, qui absq; prævio naturalis voluntatis desiderio convertitur.
- XII. Spiritus Sanctus datur etiam irregenitis & non peccantibus, ut renascantur & petere discant.
- XIII. Gratia divina non tantum per verbum sed & per Sacra menta in nobis operosa est.

L. XII. De Justificatione.

- I. Justificatio fidei non est in N. T. demùm aperte propositum beneficium,
- II. Vera & plena remissio peccatorum non ad alterum demùm seculum differtur, sed realiter nunc nobis obtingit.
- III. Imò nulla est remissio peccatorum in futuro seculo expectanda.
- IV. Non per imitationem sed per imputationem justitiae Christi justificamur.
- V. Justificatio nostra fide fit tanquam medio ληπτοῦ, non propter fidem tanquam causam impulsivam.
- VI. Fides imputata ad justitiam non est justitia imperfecta habita pro perfectâ.
- VII. Opera omnia etiam imperfecta à justificatione excluduntur, ne ejus dicantur causa sine quâ non.
- VIII. Etsi non ad veritatem satisfactionis Christi, ad utilitatem tamen & effectum ejus fides requiritur,

L. XIII. De Pœnitentiâ.

DISPUTATIO XX.

- I. Pœnitentia non forma sed fructus est nova obedientia.
- II. Non minus in primâ conversione, quam in relapsorum

- rum pœnitentiâ reqviritur pristinorum peccatorum seria abdicatio.
- III. Etiam qvi post agnitam veritatem in habitualia peccata prolapsus est, veniam conseqvi potest, & actu conseqvitur, si de peccatis iis doleat & seriò convertatur.
- IV. Pœnitentia anteactæ vitæ etiam in extremis, ubi fructuum bonorum tempus nullum suppetit, salutaris est ex vi N. T.
- V. Non ergo veniæ locus præciditur facinoris, qvi per carnificem è medio tolluntur.
- VI. Promissio Dei apud Ezechielem de peccatore in gratiam recipiendo non ad unam gentem aut ætatem, sed omnes omnino homines, nec ad leviora tantum sed maximè ad graviora peccata pertinet.
- VII. Promissio Johannea 1. ep. 2, 1. non ad novitios & infirmos, qvi peccati habitum nondum excusserunt, sed ad fideles promiscuè omnes pertinet.
- VIII. Christus nos remittere jubens ut Pater remittit, utique quid pater faciat docet.
- IX. Nulla tamen potest expectari peccati in Sp. S. nominatim suscepta pœnitentia, aut Dei ad eam efficacissima operatio, ideoq; omnis spes gratiæ tali peccatori præclusa est.
- X. Confessio auricularis etsi nec ad pœnitentiam nec ad veniam apud Deum conseqvendam necessaria est, ut tamen in ecclesiâ nostrâ obtinet, laudabile institutum est.
- L. XIV. De Fide & Bonis Operibus.
- I. Fides veterum essentialiter non differt à fide Christianorum.
- II. Nec

- II. Nec fides in Christum ante ejus exaltationem minus
quam post eam vel necessaria vel efficax fuit.
- III. Falso dicitur objectum fidei justificantis esse res
tantum futura.
- IV. Apostolus cum Abrahami fidem in Deum excita-
turum sibolem, aut nostram fidem in Deum
excitatem Jesu Christi commemorat, non
formale fidei objectum, sed motivam tantum
eius commemorat.
- V. Fides autem quam salvamur, est fides meritum Christi
sibi applicans.
- VI. Non quae partes religionis, eadem & fidei justifican-
tis sunt.
- VII. Combinatio freqvens fidei & obedientiae operum
non arguit utriusque identitatem.
- VIII. Non perfectis tantum, sed omnibus operibus fi-
des adaequatè opponitur.
- IX. Bona opera itaque nec forma nec executio sed fru-
ctus fidei sunt.
- X. Fides vera etiam cadit in infantes, etiam si probatio-
ne sui aut habitu Theologico destituantur.
- XI. Robur fidei in credentibus agnatum non extendit se
ad immunitatem à peccato.
- XII. Qui non possunt peccare, aut peccatum committe-
re sensu Johanneo, peccatum tamen habent &
sentiunt.
- XIII. Qui carnis infirmitate laborant, non tamen opera
carnis faciunt phrasim Biblicam.
- XIV. Non ut natus ex carne mera caro est, ita natus ex
Spiritu merus spiritus.
- XV. Perfectio servatae legis & amarum renatis adscripta
non absolute talis est.

E 2

XVI, De-

XVI. Debitum officii nostri non arguit ejus plenam pos-
sibilitatem in renatis.

XVII. Petitio tertia orationis dominicae non innuit spem
renatorum de plenâ voluntati divinæ, obedien-
tiâ in hac vitâ præstandâ.

L. XV. De Baptismo.

DISPUTATIO XXI.

I. Baptismus Apostolorum divinitus mandatus atque
institutus, non indifferens ceremonia est spon-
te ipsorum assumta.

II. Vox baptismi, ubicunq; simpliciter seu absq; addito
occurrit, propriè intelligenda est de eo, qvia-
pud apostolos obtinebat,

III. Aqva cum spiritu conjuncta non significat aqvam
spiritualem seu metaphoricam.

IV. Dato præcepto baptizandi, datur etiam obligatio
baptismi suscipiendi.

V. Comparatio inter baptismum aqveum Johannis &
igneum seu flamineum Christi, subordinata est,
non opposita.

VI. Decrementum Johannis non infert decrementum
baptismi, quem administravit.

VII. Præceptum baptismi perpetuum est, etiam ad eos,
qui in Christianismo nascuntur, pertinens.

VIII. Apostolos aut primos discipulos Christi baptizatos
non esse, saltem à Johanne, frustra sumitur.

IX. Baptismus Johannis omnibus, non tantum iis, qui
peccatis gravioribus se polluerant, propositus
est.

X. Sive

- X. Sive autem Johannes Judæos tantum sive etiam gentes baptizarit, non evincitur inde ipsius baptismi Johannis & apostolorum diversitas.
- XI. Nec abrogatus Johannis nec mutatus apostolorum baptismus est post resurrectionem Christi.
- XII. Baptizati à Johanne ab Apostolis rebaptizandi non erant.
- XIII. Etiam infantium baptismum utilem & necessarium esse vel absqve expresso exemplo ex S. literis colligimus.
- XIV. Fœdus Dei etiam ad infantes fidelium N. T. pertinet, cujus proinde obligationi illos recte inagurari circumcisio docet.
- XV. Prædicationis & baptismi dispar ratio est, ne qvi ad illam percipiendam minus idoneus est, ab hoc quoqve arceatur.
- XVI. Non alio liqvore qvam aquâ baptismus legitimè valideqve administratur.
- XVII. Etiam Johannes in nomen Christi baptizavit.
- XVIII. Baptismi Johannis non minor virtus fuit, qvam baptismi Apostolorum.
- XIX. Ea est baptismi efficacia, ut per illum regenerationem peccatorumqve remissio nobis obtingat.
- XX. Multiplicatio mediorum salutis non est indigna Deo.
- XXI. Etsi in rebus externis qvà talibus regnum Dei non consistit, in baptismo tamen acquiritur.
- XXII. Baptisma salvans non arcæ Noachicæ sed aquæ diluvianæ antitypum facit Petrus, adeoque refectione carnalis sordium lotionis, aquam ipsam baptismalem non rejicit.

E 3

XXIII. Spic.

XXIII. Spiritum S. in baptismo non dari non evincit vel
historia vel cessatio visibilis ejus effusionis.

L. XVI. De Eucharistiâ.

DISPUTATIO XXII. § hiscend. IIX

I. Sacramenti appellatio Eucharistiae facta nec supersti-
tiosa nec inepta est.

II. Recte etiam vocari potest Sacmentum Altaris.

III. Tò ꝑn̄y in verbis institutionis urgere nec inscitiae

nec pertinacia est.

IV. Verba institutionis non debent verti: *Hoc est cada-
ver meum,*

V. Demonstrativum HOC ad id quod dabatur, non ad
actionem ipsam pertinet.

VI. Corpus & sanguis Christi in Eucharistiâ realiter præ-
sentia, non toto cœlo absentia sunt.

VII. Judicium sensuum circa mysteria Dei non valet
negativè, nec inde corporis & sanguinis Christi

præsentiam negare licet.

VIII. Corpus Christi nunc exangue esse, aut sanguinem

ejus computruisse, contra S. Scripturam dicitur.

IX. Major & intimior est unio panis & corporis Christi,

quam victimæ cum altaria aut idolis.

X. Panis vera communicatio corporis, non nudum ejus

communicationis signum est.

XI. Nec mystici sed proprii Christi corporis est com-
municatio.

XII. Comestio corporis Christi vera & salutaris non æ-

què latè patent.

XIII. Abstemiis pro vino eucharistico aquam porrigere

tutum non est.

XIV. Aegro-

- XIV. Aegrotis etiam extra publicum cœtum eucharistia recte datur.
- XV. Solemnis seu repræsentativa panis fractio, & vini in calicem infusio nec ad integratatem nec ad es- sentiam hujus Sacramenti pertinent.
- XVI. Accubitus ad mensam ad rectum ejus usum non reqviritur.
- XVII. Geniculatio, denudatio capitis & id genus alia ex- terna reverentia disciplina sectanda potius est quam immutanda.
- XVIII. Perceptione Eucharistiae fides nostra etsi jam tum credentium confirmatur, promissionesque di- vinæ de remissione peccatorum obsignantur.
- XIX. Nec carnem suam prodesse, nec quod in os ingre- ditur sanctificare nos, Christus simpliciter negat.
- XX. Vis mortis Christi effectui eucharistico, aut celebra-
-cio commemorationi ejus non est oppo-
-nenda.
- XXI. Indigne comedentes & bibentes non pœnæ tan-
-tum temporalis sed & æternæ rei sunt.
- XXII. Indignorum condemnatio non infringit Sacra-
-menti hujus virtutem.

L. XVII. De Ecclesiâ.

DISPUTATIO XXIII.

- I. Tenetur quisque fidei socios, quibuscum ad commu-
-nia sacra conveniat, adeoque veram ecclesiam
inquirere.
- II. Dantur vera ecclesiæ notæ, pura Verbi divini prædi-
-cacio & sacramentorum recta administratio.

III. Præ-

- III. Prædicatio veræ atqve sinceræ doctrinæ non est ecclesiæ forma interna.
- IV. Attamen & forma rei, ejusdem nota esse potest.
- V. Qui rectè credit, novit qvidem, qvænam sit vera ecclesia, in actu signato, nondum tamen, qvænam illa sit, in actu exercito,
- VI. Non omnis neglectio disciplinæ ecclesiasticæ ecclesiam eo nomine reddit indignam.
- VII. Falsò ecclesiæ Lutheranæ accusantur, qvòd processum disciplinæ ecclesiasticæ à Christo præscriptum nullatenus obseruent.
- VIII. Ecclesia universalis rectè dividitur in militantem & triumphantem,
- IX. Ecclesia Christo semper aliqua conservabitur ad finem usqve mundi.
- X. Prædicatum de ecclesiâ, qvòd portis inferorum succubitura non sit, non tam exuscitationem ejus à mortuis dicit, qvàm eam intermorituram esse negat.
- XI. Perpetuam conservationem ecclesiæ absqve vi humano arbitrio illatâ, aut religionis naturâ immutatâ promittere Deus potuit.
- XII. Universalis apostasia talis, unde omnis veræ ecclesiæ sublatio concludi debeat, nec prædicta est divinitus, nec experientiâ comprobata.
- XIII. Seduci tamen potest & ille, qui religionem Christianam semel in animum penitus admisit, naturamqve ejus bene perspexit.
- XIV. Nulla ratio nullusqve color est, ut Sociniani cum protestantibus omnibus, qui à Rom. ecclesiæ separati sunt, in unam societatem ecclesiasticam, quasi fundamento fidei ubique salvo, coire velint.

XV. Ut jure ab ecclesiâ excluduntur hæretici, ita nec
in remp. Christianam admitti debent.

XVI. Mansuetudo erga heterodoxos nobis imperata
non extendit se ad hæresium satores impunè
tolerandos.

L. XVIII. De Ministerio Ecclesiastico.

DISPUTATIO XXIV.

I. Necesse est ut ministri ecclesiæ peculiari ratione ad
officium suum vocentur.

II. Appeti legitimè episcopatum qvi dicit, arripi eum
posse propriâ auctoritate negat.

III. Vocatio charitatis in ecclesiâ plantandâ non ex-
tendi potest ad publicum docendi officium in
ecclesiâ plantatâ.

IV. Datur etiam divina missio seu vocatio, qvæ media-
tè per homines fit.

V. Acquisitio aptitudinis ad episcopatum internâ non
parit jus ejus capessendi externum.

VI. Ordinatio ministrorum ecclesiæ per impositionem
manuum ut Apostolica ita & utilis ceremonia
est.

VII. Non ad miraculosa tantum dona conferenda Apo-
stoli manus imposuerunt.

VIII. Sacramentorum dispensatio ministerio verbi an-
nexa est, nec citra necessitatem ab aliis publi-
cè non vocatis usurpari debet.

IX. Communis omnibus fidelibus Eucharistiæ finis par-
ticipationis, non administrationis jus facit.

X. Presbyter Sacmenta dispensans vice Dei fungitur.

XI. Remissio peccatorum efficax, non declarativa tam
tum Apostolis data est.

XII. Potestas clavium cum Apostolis in cœlum non re-
sumta est, sed hodieque in ecclesiâ agnoscî de-
bet.

L. XIX. De Magistratu Politico.

- I. Magistratum etiam talem, qui jus gladii exercet,
Christiano gerere licet.
- II. Absque jure ultimi supplicii inferendi respubl. con-
sistere nequit.
- III. Ut homicida ultiore gladio vicissim pereat, non
prædictio Noacho nuda, sed lex est.
- IV. Interdictum Apostolis dominatum, & spiritualia
Christianis arma asserta sensu composito acci-
pere oportet.
- V. Pax & gratia Evangelii legis vel rigor vel terror
opposita, spiritualis & divina non politica est.
- VI. Patientia, charitas & fiducia Christianorum, non
sunt virtutes omne jus vel armorum vel judi-
ciorum implorandorum tollentes.
- VII. Bellum itaque defensivum principi aut reip.
Christianæ gerere licet.
- VIII. Ex concessione Johannis baptistæ, statutus militaris &
sub regno Christilicentia recte defenditur.
- IX. Centurionis fides à Christo laudata verè ea erat
quæ filios Dei per Christum efficit.
- X. Jus armorum non pendet unicè ab expressâ terræ
divinitus factâ assignatione.

XI. Re-

XI. Religio bello illato ex provinciâ tolli adeoque à
summâ potestate armis defendi potest.

L. XX, De Novissimis.

DISPUTATIO XXV.

- I.** Anima separata etiam post mortem hominis actu ipso, non potentia tantum aut decreto divino vivit.
- II.** Immortalitas animæ intrinseca est, utut à Deo destrui possit.
- III.** Spiritus ad Deum migrans non in ipsum tanquam in subjectum recipitur, sed per se subsistit.
- IV.** Viventibus animabus recte & ipsi sancti vivere vel existere dicuntur.
- V.** Mortui dicuntur *non esse* respectu terrenæ conversationis, non simpliciter.
- VI.** Animarum jam ante ultimum judicium & coronarum distributionem diversa est conditio.
- VII.** Diversam hanc conditionem docet etiam historia de divite & Lazaro, utut parabolicè proposita.
- VIII.** Votum desiderii efficacis in Paulo, ut apud Christum esset, non fuit rei desperata vel impossibilis.
- IX.** Nec Paulus ne clatro cum Christo in cruce pendens desideria sua in ultimum judicium rejecerunt.
- X.** Tò HODIE in responsione Christi ad latronem perperam transpositâ distinctione cum verbo *descendi* conjungitur.
- XI.** Manifestatio gloriæ cum ejusdem fruitione pari passu non ambulant.

- XII. Consummatio in epistolâ ad Hebreos de sanctis affirmata beatitatem illorum ponit, negata non tollit.
- XIII. Vita & gaudium beatarum animarum non auffert desiderium vel utilitatem resurrectionis.
- XIV. Vita ac beatitudo animæ corporisque resurrectionis in argumentatione Christi & Pauli se mutuo inferunt ex hypothesi Sadduceâ & Epicureâ, non ipsius rei identitate.
- XV. Migratio animæ omnis ad Deum cum disparitate fati ipsarum satis probè consistit.
- XVI. Spiritus in carcere quos vocat Petrus, non sunt superstites in corpore vel peccato constituti.
- XVII. Nota temporis in verbis illis Petrinis in particulam similitudinis nullâ explicatione verti debet.
- XVIII. Corpus hominis post mortem non redigitur in nihilum

DISPUTATIO XXVI.

- XIX. Corpus quod resurrecturum est, substantia idem non diversum est ab eo quod moritur.
- XX. Verba symboli de carnis resurrectione non sunt in ampliatione accipienda de eo quod caro fuit.
- XXI. Destructio ventris & exclusio carnis & sanguinis à regno cœlorum, nec materiae nec formæ essentialis immutationem in resurrectione inferunt.
- XXII. Imago Adami cœlestis portanda est in ipsâ carne nostra.

XXIII.

- XXIII.** Comparatio corporis mortui cum grano in ter-
ram projecto in tertio similitudinis non pari-
tatis intelligi debet.
- XXIV.** Carnis natura non obstat, qvò minus spiritualibus
qualitatibus in alterâ vitâ induatur.
- XXV.** Habitaculum cœleste, qvod expectamus, gloria
cœlestis non novum aliud corpus est.
- XXVI.** Absorptio & induitio etiam qualitatum sunt.
- XXVII.** Etiam apud Anthropophagos qvemque suo cor-
pore resurgere, absurdum non est.
- XXVIII.** In hypothesi Socinianâ idem homo qvi mortu-
us est non resurgit, sed alius certat, alius coro-
natur.
- XXIX.** Resurrectio universalis erit omnium, etiam im-
piorum, qvi in injustitiâ mortui sunt.
- XXX.** Surrectio multitudinis vel ad gloriam vel ad op-
probrium apud Danielem non est metaphoricè
explicanda.
- XXXI.** Omnes apparituri coram tribunali Christi non
sunt tantum Christiani, aut ii, qvi ab ejus ad-
ventu vixerunt.
- XXXII.** Sodomitarum & Ninivitarum futura contentio
cum Judæis de iudicio qvondam particulari ex-
pliari nequit.
- XXXIII.** Transfixores ipsius Christi non tantum mem-
brorum ejus ipsum videbunt in novissimo
die.
- XXXIV.** Spes Paulo in resurrectione injustorum tantum
per accidens posita est.
- XXXV.** Mors secunda aut æternum damnatorum exiti-
um non est eorum annihilatione.

F 3

XXXVI.

- XXXVI. Non à perpetuæ destructionis effectu, sed ab extinc-
tionis negatione ignis infernal is æternus
appellatur.
- XXXVII. Misericordia Dei iram abrum pentis, hujus non
futuri seculi est.
- XXXVIII. Æternitas poenæ non obstat justitiæ divinæ, sed
eam potius commendat.
- XXXIX. Aëstimatio peccati ab infinitate Dei non reddit
ea omnia æqvalia.
- XL. Vita & immortalitas ad perpetuos cruciatûs data
beneficium non est, sed pœna maxima.
- XLI. Non esse poenæ vel præmii diversos gradûs in alterâ
vitâ futuros, sententia est S. literis adversa.
- XLII. Denarius vinit oribus in parabolâ datus non est
vita æterna.
- XLIII. Perfecta & maxima sunt beatorum præmia, non
qvòd iis nihil addi possit, sed qvòd iis nihil ad-
dendum debeatur.



Socinus epist. ad excell. Virum N. N.

f. 669.

Quid exacti iudicij in ejusmodi Philosophicis ac Theologicis expectari à me potest homine, qui nec Philosophiam unquam didicit, & ipsius Logicae artis nil nisi rudimenta quædam, idque valde ferò degustavit? Nolo enim te ignorare, plerasque disputationes meas, quarum quædam non sunt editæ, scriptas à me fuisse, cum nondum dialectice arti ullam operam dedisset.

Jerem. Felbingerus epist. ad Christ.

Necessarium esse videtur scire modum, quo Sociniani, qui latent inter nos, detegi & in lucem protrahi queant. Sunt enim versutæ studioſissimi, & vitio ſibi non vertunt, opiniones suas diſsimulare, etiamſi maximè ad edendam ſuę fidei confeſſionem urgeantur.

Socinus copy by exccell. Vittini.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn736212388/phys_0053](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn736212388/phys_0053)





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn736212388/phys_0054](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn736212388/phys_0054)





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn736212388/phys_0055](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn736212388/phys_0055)

DFG

- XXIII.** Comparatio corporis mortui curram projecto in tertio similitudinis intelligi debet.
XXIV. Carnis natura non obstat, qvò minus qualitatibus in alterā vitā induatur.
XXV. Habitaculum cœleste, qvod ex parte cœlestis non novum aliud corpus.
XXVI. Absorptio & induitio etiam qualitatibus.
XXVII. Etiam apud Anthropophagos quod post mortem resurgere, absurdum non est.
XXVIII. In hypothesi Socinianâ idem homines est non resurgit, sed alius cœlestis natura.
XXIX. Resurrectio universalis erit omnium piorum, qui in injustitiâ mortui.
XXX. Surrectio multititudinis vel ad gloriam propter probrium apud Danielem non est explicanda.
XXXI. Omnes apparituri coram tribunali sunt tantum Christiani, aut in ventu vixerunt.
XXXII. Sodomitarum & Ninivitarum factum Judæis de iudicio quoniam applicari nequit.
XXXIII. Transfixores ipsius Christi nobis brorum ejus ipsum videbunt die.
XXXIV. Spes Paulo in resurrectione injuria per accidens posita est.
XXXV. Mors secunda aut æternum damnum non est eorum annihilationis.

F 3

